

tionum dixit: *Hæc minima congregatio, quæ a Sede Apostolica in prima sui institutione Societas Jesu nominata est*, etc. Constat igitur nomen hoc magna auctoritate impositum et confirmatum existere.

Aliquorum calumnia circa nomen Societatis Jesu refellitur.

9. Nihilominus non defuerunt viri catholici et docti, qui cum in nostris primis patribus¹ eorumque religione aliquid quærerent, quod reprehenderent, in hæc etiam nomen impigerunt, arrogantiam illis tribuentes, quod nomen universæ catholicæ religionis proprium sibi usurparent. Cum enim Paulus, 1 ad Cor. 4, dixit: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi*, per illam societatem universam plane Ecclesiam intellexit. Et hic dicitur fuisse primus articulus censuræ, quam contra Societatem Universitas Parisiensis edidit. Hoc etiam videtur significare voluisse Cano, l. 4 de Locis, c. 2, in principio, ubi tractans prædicta verba Pauli, inquit: *Quæ sine dubio societas, cum Christi Ecclesia sit, qui titulum illum sibi arrogat, hi videntur an hæreticorum more penes se Ecclesiam existere mentiantur*. Quibus nos uno verbo respondere possemus, nos illud nomen non usurpasse, sed consensu Summorum Pontificum habuisse, magisque timendam esse ne invidia vel arrogantiam genus sit, ibi reprehensione dignum aliquid quæreret, ubi tot Pontifices, tantumque Concilium nihil invenit, vel potius dum nos calumniantur, ipsos quoque tacite reprehendere. Sed et novissime Gregorius XIV, in sua confirmatione instituti Societatis, quæ incipit *Ecclesiæ Catholicæ*, etc., data 4 Kal. Jul., anni 1591, omnem hæc de re questionem extinxit in hunc modum: *Quo vero ad reliqua quæ in controversiam vocata erant, sic statuimus, nomen Societatis Jesu, quo laudabilis hic ordo nascens, a Sede Apostolica nominatus est, et hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse*, etc.

10. *Supra posita calumnia diluitur.* — De nomine Societas. — Verumtamen, ut objectioni eorum plenius satisfaciamus, duas dictiones, quibus nomen illud constat, distincte consideremus, *Societas Jesu*. Et quidem in priori nihil est quod arrogantiam redoleat, sed potius humilitatem et charitatem. Noluerunt

¹ Ribaden., Vita B. Ignatii, lib. 4, c. 11, editione Lafina.

enim nostri Patres, Pontificis approbationem antevertendo, congregationem suam religionem nominare, et ideo usi sunt voce, quæ communissima est, et vix poterant invenire aliam, quæ majorem temperantiam et moderationem animi indicaret. Deinde, summo charitatis vinculo conjuncti erant inter se; hæc enim sola, ex tam diversis nationibus, summo animorum consensu, et perpetuo nexu eos copulaverat, et hunc spiritum in sua congregatione relinquere maxime cupiebant, quod nullo alio nomine magis significare poterunt. Et hoc indicant illa verba in secunda bulla Pauli III: *Ad perficiendam et conservandam eorum Societatis in Christo unionem, quamdam vivendi formulam tradiderunt*, etc. Solet enim Societatis nomen et ad militiam, et ad negotiationem, seu mercaturam specialiter applicari. Ex utroque titulo videtur hæc vox a B. Ignatio usurpata. Nam ad priorem spectat, quod in prima bulla Julii III dicitur: *Postquam, Domino inspirante, huic Jesu Christi militie nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, et ad eam grandis debiti solutionem prompti esse debent*. Et inferius: *Idonei reperti ad eundem finem Societatis admittantur ad hanc Jesu Christi militiam*. Et in prima Bulla Pauli III: *Quicumque in Societate nostra, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare*. Est ergo hæc quorundam militum societas. Ad posteriorem autem pertinere videtur, quod prius in eadem bulla dicitur: *Exemplaris ac religiosæ vitæ socii effecti*, etc. Quid enim est religiosa vita, nisi quædam spiritualis negotiatio et mercatura? Cum ergo, D. Thoma teste, 1 p., quæst. decima tertia, art. secundo, ad 2, unaquæque res ab operatione sua magis propria, magisque nota, optime nominetur, et finis ac munus Societatis sit, præter unionem et charitatem propriam, perpetuo militare pro animarum salute, seu pro illis Christo lucrandis negotiari, maxima cum proprietate religio hæc Societas appellata est.

11. *De nomine Jesu.* — Cur B. Ignatius de suo nomine Societatem nuncupari noluerit. — Non potuit autem nomen hoc Societas absolute et sine ulla determinatione huic religioni imponi, tum quia talis impositionis modus etiam in propriis nominibus absque alia cognominis determinatione usitatus non est, nedum in communibus et generalibus; tum etiam quia vel nomen esset nimis vagum et incertum, vel si per antonomasiam pro hac religione accipiendum putaretur, majoris fortasse

arrogantiæ argueremur. Quæ igitur determinatio, aut magis pia et religiosa, aut instituto talis religionis magis accommodata, aut membris ejus dulcior, aut fructuosior, vel ad fidelium ædificationem aptior addi poterat, quam adjuncto nomine Jesu? Præter hanc enim, duæ tantum aliæ accommodatæ determinationes poterant cogitari, Ignatii nimirum, vel primorum sociorum ejus, S. Xaverii, nimirum, Salmeronii, etc. Et quidem non immerito nec sine sufficienti ratione potuisset hæc societas Societas B. Ignatii appellari; illum enim ut ducem, et proximum exemplar a Deo datum agnoscit, et secundum Christum veneratur. At hunc ipsum honorem fagere, et nomen suum occultare voluit Beatus Ignatius: tantum ergo ab arrogantia abfuit, quantum humilitas a superbia distat. Quanquam ergo nostri muneris esse debeat, nomen Ignatii perpetua memoria et affectu retinere, ejusque virtutes imitari, ipse tamen Jesu nomen voluit esse infixum in cordibus nostris, et ideo non suo, sed illo voluit Societatem insigniri. Altera vero sociorum omnium Ignatii determinatio seu appellatio, quamvis ab eorum meritis aliena non esset, multis tamen rationibus fuisset incongrua non solum quoad moralem rationem, quia non omnes pares fuerunt, sed etiam quoad ipsius nominis usum; oportuisset enim aut omnium propria nomina Societatis voci distincte adjungere, quod prolixum esset et inusitatum; aut sub confusa sociorum voce eos comprehendere, quod ambiguitatem et communitatem vocis non tolleret, nisi saltem Ignatii nomen præponeretur, dicendo, Societas B. Ignatii, et sociorum; et ita neque Ignatius ipse, quod humiliter exoptabat, obtineret, neque alii in eodem modestiæ ac humilitatis officio eum perfecte imitari viderentur. Prudenter ergo, et sancte additum est nomen Jesu, in quo principaliter ipsi sociati erant, et cæteros imitatores eorum conjungi cupiebant.

12. *Ab arrogantia nominis Societas liberatur.* — Sed instant, arrogantiam esse, universalis Ecclesiæ nomen sibi usurpare. Respondeo imprimis arrogantiam tunc proprie esse, cum quis aliquid boni vel virtutis sibi attribuit quod vere non habet, aut a se habere, quod a Deo habet, juxta Deo Thom. 2. 2, quæst. centesima duodecima, art. primo, ad 2. Neutrum autem horum fecit S. Ignatius, aut facit Societas per hujus nominis appropriationem. Nam imprimis hoc nomine proficitur, quod vere est Societas Jesu, tum quia in illo unitur

perfecta unione, qua membra capiti copulantur, et inter se ratione illius; tum etiam quia sub illo, tanquam sub primario duce, militat; tum denique quia pro illo legatione ad homines fungitur, ut Deo reconcilientur, illique ad salutem animarum, quantum potest, cooperatur. Nam et Paulus Apostolus, ad Philip. 2, Epaphroditum fratrem, cooperatorem et comilitonem suum appellat, eo quod in prædicatione Evangelii illi esset socius. Sic autem hujus religionis ministri, si non tempore et loco, certe spiritu et munere illi sociantur. Tum denique quia, quidquid lucri in negotiatione sua hæc Societas intendit, totum ad Jesum pertinet; non enim quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere debet ac conatur. Deinde hoc ipsum, quod vere Societas est, non a se, sed a Christo habere illo eodem nomine proficitur. Propterea enim non alterius hominis, sed Jesu appellata est, ut ab illo intelligat se habere originem et profectam.

13. *Replica.* — Diluitur primo. — Diluitur secundo. — Rationes cur nomen totius Ecclesiæ approprietur huic religioni. — Nomen Societatis varie in Constitutionibus usurpatur. — At urgere tandem possunt, ad arrogantiam etiam et superbiam pertinere, ea, quæ communia sunt, et excellentiam præ se ferunt, tanquam propria usurpare. Respondeo primo, vulgatum esse doctrinam etiam inter Dialecticos¹, genericam vocem aliquando attribui abjectiori speciei, ut denotetur potius nihil habere excellens, præter id quod commune est; nomen autem Societatis Jesu, licet excellentiam magnam præ se ferat, tamen ex se non aliam significat præter illam, quæ toti Ecclesiæ, et omnibus membris ejus communis est, et ideo attribui potuit alicui parti ejus, non tanquam excellentiori, sed tanquam minimæ, et quasi nihil proprium habenti unde gloriatur. Deinde addo, etiam esse vulgarem Theologorum doctrinam, nomina communia, quantumvis excellentia, recte appropriari alicui, quando et penuria nominum cogit, et sufficiens ratio ad talem appropriationem invenitur. Sic nomen Spiritus Sancti, quod alias commune est, tertiæ personæ tanquam proprium imponitur, ut omitam multa essentialia et communia nomina personis appropriari, ut potentiam Patri, sapientiam Filio, et similia; sic etiam hæc vox religiosus communis est omnibus verum Deum sana fide co-

¹ Vide D. Thom. in 4, d. 17, q. 1, art. 1, quæstiuncula 2, ad 3.

entibus ⁴, et nihilominus speciali ratione iis, qui peculia in modo se divino cultui dedicant, appropriata est; et ideo quamvis nonnulli hæretici etiam hoc in monachis reprehendere voluerint, quod *religiosorum* nomen sibi vendicaverint, nihilominus tamen esse veram calumniam omnes Catholici intellexerunt. Itaque igitur commune hoc nomen sine arrogantia potuit huic religioni appropriari, quia multa habet propria, in quibus merito hæc impositio seu accommodatio fundari potuit. Primum, quia, ut dictum est, Christo specialiter conjungitur, ut ei circa efficaciam redemptionis, et salutem hominum, quam nomen *Jesus* præ se fert, specialiter cooperetur. Secundo, quia Christi vitam proprio et particulari modo imitatur, ut in sequentibus latius ostendemus. Et nunc breviter declaratur, quia in hoc præcipue suos instituit, ut summa unione charitatis inter se vivant, more discipulorum Christi, et ut Christo conformentur, præcipue in obedientia ad Patrem, et in affectu ad animarum salutem; quos omnes effectus nomen illud præ se fert, juxta illud 1 Joan. 1: *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.* Tertio est huic religioni proprium, peculiarem obedientiam Vicario Christi promittere; quod, inter alias causas, speciali Dei providentia credimus factum, in detestationem hæreticorum, qui eodem tempore exorti sunt, et speciali odio Apostolicam Sedem, atque adeo Catholicam Ecclesiam prosequuntur. Non ergo nomen *Societatis* hæc religio assumpsit, ut universalem Ecclesiam sibi arrogaret, sed potius ut se illius filiam, et peculiari modo illi obedientem profiteretur. Quis autem filiam reprehendat, quod ex peculiari affectu ad matrem nomine ejus insigiri gaudeat? Denique nullus reprehendit religiones aliquas, congregationes, aut particulares personas, quæ vel a Trinitate, vel ab Spiritu Sancto, vel a conceptione, vel ab ipso nomine *Jesu*, cognomina accipiunt, vel ob peculiarem institutionem, vel ob singularem devotionem, vel propter aliquem alium respectum ad talia mysteria; cum ergo hæc omnes causæ, et plures aliæ, quæ insinuatæ sunt, vel cogitari etiam possunt, in Societate inveniuntur, merito a nomine *Jesu* cognomen accepit. Ultimo vero circa nomen hoc præ oculis habenda est multiplex ejus significa-

⁴ Vide Bellar., in lib. de Monachis.

tio, quæ in Constitutionibus ejusdem Societatis declaratur, p. 5, cap. 1, lit. A. Quia enim Societas congregatio quædam est, quæ pluribus membris constat, et novitiis etiam, qui propria membra non sunt, ideo interdum illo nomine significatur tota Societas, ut novitiis etiam complectitur; nonnunquam excluduntur soli novitii, et Societas appellatur totum reliquum corpus ex membris suis constans. Inter hæc autem membra quædam sunt, quæ nondum ad terminum pervenerunt, sed adhuc probantur aliquo modo, et sunt in via, ut scholastici, et ideo vocari solet aliquando illo nomine hæc congregatio, ut constans ex professis et coadjutoribus formatis, qui jam sunt in termino sui status. Quia vero inter eos professi sunt præcipui, et apud eos est principaliter regimen Societatis, et ministerium ejus, ideo specialiter solet eis hoc nomen attribui. Quæ distinctio ad intelligenda ea, quæ dicemus, præ oculis habenda est.

CAPUT II.

QUIS SIT FINIS HUIUS RELIGIONIS.

1. *A fine non solum quælibet actio, sed totus vitæ status regulatur. — Est item principium in moralibus. — Est denique quasi differentia distinguens statum. — Sicut in actionibus humanis earum bonitas et perfectio ex fine pendet, ut est commune Philosophorum dogma; propter quod dixit Seneca, epist. 46, finem summi boni, ad quem factum nostrum dictumque respiciunt, proponendum nobis esse, ne vita in incertum vegetetur. Imo etiam Christus Dominus, Matth. 6, et Luc. 11, dixit, ex oculo cordis et simplicitate intentionis, totius corporis lucem pendere; sicut (inquam) hoc in singulis actionibus verum est, ita etiam in quolibet vitæ statu; nam finis ejus est quasi basis et fundamentum illius, ut recte dixit Gregorius, lib. 28 Moral., cap. decimo tertio, explicans verba illa Job. 38: *Super bases illius solidatæ sunt: Vita (inquit) nostra in intima finis intentione subsistit.* Est etiam quasi generale principium, ex quo conditiones, seu proprietates, vel obligationes uniuscujusque status colligendæ sunt, juxta illud Aristotelis, 2 Phys., c. 8: *Sicut principium in speculabilibus, ita finis in moralibus.* Inter moralia autem status hominum primum sine dubio locum obtinent. Est denique finis uniuscujusque status, seu religionis, si proprius sit,*

veluti propria forma, a qua veluti propria differentia constituens talem religionem, eamque ab aliis distinguens, sumitur, ut ex D. Thomæ doctrina, 2. 2, quæst. centesima octogesima quarta, intelligere licet. Ob hæc ergo causas, ad intelligendum Societatis institutum, ejusque rationes ac proprietates explicandas, finis illius primum omnium contemplandus est. Atque ita primi etiam nostri Patres, quoties a Summis Pontificibus approbationem hujus religionis petierunt, a fine illius suæ supplicationis initium sumpserunt. Ab illis ergo, atque adeo a Pontificibus et responsis eorum finem hujus religionis adiscamus.

Finem hujus religionis esse non solum propriam, sed alienam perfectionem querere.

2. *Probatur testimonio Pontificum. — Ex constitutionibus Societatis idem ostenditur. —* In prima ergo Bulla Pauli III, in formula instituti ei proposita, Societas ad hoc potissimum instituta dicitur, *ut ad profectum animarum in vita et doctrina Christiana, ad fidei propagationem, etc., præcipue intendat.* Et inferius, ad unumquodque Societatis membrum dicitur: *Curet primo Deum, deinde hujus sui instituti rationem, quæ via quædam est ad illum, semper ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi.* Eadem verba fere inveniuntur in simili formula oblata Julio III, ut habetur in prima ejus bulla. Idem repetunt alii Pontifices, præsertim Gregorius XIII, in constitutione *Quanto fructuosius*, ubi sic ait: *Sicut finis dictæ Societatis, fidei propagatio et defensio, animarumque in vita et doctrina Christiana progressus, ita etiam gratiæ ejus vocationis proprium est, diversa loca de Romani Pontificis, ac Præpositi Generalis ejusdem Societatis directione peragere, etc.* Et in altera constitutione, *Ascendente Domino: Cujus* (scilicet Societatis), inquit, *præcipuus finis est, Catholica religionis defensio et propagatio, animarumque in Christiana vita et doctrina profectus.* Deinde in suis Constitutionibus sæpe hunc finem nobis proposuit B. Ignatius, magisque explicavit. Nam in examine (quod omnibus Societatem ingredi volentibus statim in principio proponitur), c. 1, n. 2, sic inquit: *Finis hujus Societatis est, non solum salutem et perfectionem propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere.* Et in parte prima Constitutionum, capite secundo,

numero octavo, ait, institutum Societatis esse recta tendere ad juvandas et disponendas animas ad sui ultimi finis consequentiam. Et p. 3, cap. primo, § 9, sic de Societate loquitur: *Quæ tota ad majorem Dei gloriam et universale bonum, et utilitatem animarum instituta est;* et parte quarta, statim in initio: *Cum scopus, ad quem Societas recta tendit, sit suas ac proximorum animas ad finem ultimum consequendum, ad quem create fuerunt, juvare, etc.;* ubi in declaratione id distinctius explicatur. Ac denique ex hoc fine fere omnia colligit, quæ in omnibus partibus Constitutionum disponit, ut in discursu operis videbimus. Hic vero specialiter notanda sunt illa verba, quæ in septima parte, c. 1, § 1, scripta reliquit de eodem fine, scilicet: *Qui finis nostri instituti valde proprius est.*

3. *Idem ratione suadet a posteriori. —* Satis ergo, et ex testimonio auctoris instituentis, et ex assensu Pontificum approbantium, constat hunc esse finem Societatis. Neque hic alia ratio postulanda est, quia finis intentio seu designatio libera est operanti vel artifici; ille ergo est finis rei institutæ, quem ipse institutor sibi proposuerit, quemque intendere tenentur omnes, qui talem vivendi rationem profitentur. Deinde (a posteriori argumentando), ille est finis alicujus status, ad quem præcipue operationes ejusdem status, et media, quæ ad illas ordinantur, diriguntur; nam operatio est finis proximus seu formalis, seu finis quo (ut Theologi loquuntur); id autem, quod per talem operationem comparatur, est finis qui intenditur, seu cujus gratia res instituta est; sed omne fere opus ac negotium Societatis ad hoc tendit, ut animarum salutem et perfectionem, quantum divinæ gratiæ cooperando potest, promoveat; et tota ratio instituendi, distribuendi ac perficiendi membra sua in hunc finem respicit, ut ea faciat apta instrumenta ad animarum salutem procurandam, vel ad hoc opus aliquo modo juvandum, unumquodque pro ratione sui gradus; ergo signum est hunc fuisse finem Societatis. Major ut nota supponitur ex 1. 2, q. 1 et 3, et ex Metaphysica. Minor, et ex bullis ac constitutionibus citatis, et ex praxi et usu manifesta etiam est, et in sequentibus erit sæpius repetenda; nam magis a priori procedendo, ex prædicto fine colligemus, quam recte sint hæc omnia in Societate instituta.

4. *Puncta duo discutienda, ac ratio difficultatis utriusque. — Evasio occiditur. —* Ut au-